

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 14. Mulier muta ne esset maledica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](#)

Grauent catenæ corpus, & longa fame
Mors protrahatur lenta; non vincet fi-
dem

Senec. in
Hercule
fur.

Vis villa nostram: moriar, ô Numen,
tuus.

§. XIV.

Mulier muta, ne esset maledica.

Quid de lingua amissa sanctus quera-
tur? si hæc taceat, omnibus membris po-
test Christum prædicare. Et scimus, mul-
tos elingues, ipso Cicerone disertiùs diui-
na vi fuisse locutos. Ita si tyrannus mem-
bro exempto monstrū voluit facere, Deus
monstrum prodīgio condecorauit. Quan-
quam omnino digni sunt hoc plestro, qui
eo nōrunt in diuinā laudes vti. Illi au-
tem, quibus hæc in ore caro mille par-
infernos, dum lingua Deum blasphemant,
dum homines impetunt, dum viperas
agunt, quorum os maledictione plenum est,
magni meritò beneficij loco habere de-
bent, si linguam amittunt, aut velut ca-
pistro injecto eam sentiunt impediri. Vin-
centius clarum inter Patres Dominicanos
fidus, & ob tot tamque illustria prodigia
meritò miraculosus Prædicator, aliquan-
do Valentiæ, in solenni D. Ioannis Baptistæ

Petr.

Ranz.

Panorm.

in vita

eius. l. 3^o

cap. i.

B b 2

festo

festo die, ad populum, in publica concio-
ne dicebat. Dum verba faceret, per con-
fertam multitudinem, in medium addu-
cta est mulier muta, quæ in omni vita sua
nunquam fari quiuerat. Animaduersa fide
eorum, qui fæminam adduxerant, cœpto
orationis argumento pausam interiecit.
Vincentius; oculisque aliquamdiu in cæ-
lum eleuatis, postea ad mulierem conuer-
sus mutam interrogauit: *Quid vis filia?*
Illa extemporali prodigo respondit: *Pa-
nem volo, & officium linguae.* Attonitis om-
nibus, ait Vincentius: *Panem quidem quo-
tidianum, quam diu vixeris, habebis: officium
vero linguae non poteris impetrare: pro futura
enim utilitate tua Deus voluit te tali beneficio
priuare.* Si enim loquendi usus habuisses,
tanta fuisset linguae tua mordacitas, ut vitam
corporis & animæ perdidisses. Merito ergo
Deum magnificare non cesses; & cane ne ab eo
ulterius petas, quod non immerito denegabit.
Ad hæc mulier denuò clarè articulateque
respondit: *Faciam, quod hortaris;* & cum
dicto confestim rursus obmutuit. Obmu-
tuerunt stupore & alij qui aderant, & ali-
quantum ad silentium admiratione reda-
cti tacuerunt, præsertim illi, qui eam ad-
duxer-

duxerant; postea laude & gratijs Deo dicitis, adductam domum reduxerunt; ubi postquam septem annis superuixit, morte pietate religioseque obiit, ipso vitae exitu testata, melius sibi fuisse, loqui non potuisse, quam male esse locuturam. Quod etiam aliæ lingulacæ & blateratrices feminæ optare deberent. Minus enim deforme est, defectu corporis, quam virtutis laborare. Quamvis & malus spiritus linguam subinde vinctam teneat, ne Deum laudet. Hinc *ejecto demonio locutus est mutus.* Itaque & Matth. 9: tacere aliquando malum est, & loqui bonum; aliquando autem satius, non posse loqui, quam nimis loqui; ut & silentium, & eloquium à Deo, vel diabolo possit provenire.

§ XV.

S. Liberata obtenta à Deo barba virginitatem defendit.

Quemadmodum autem grande beneficium fuit huic mulieri, linguæ usu fuisse destitutam, ita & aliæ piæ feminæ, ut pudicitiam tuerentur, ipsam formæ suæ destructionem, tanquam beneficium, à Deo petierunt. Adeò quod monstrorum est ^{Martyro-} Mundo, pulchrum est Deo. S. Liberata, man. Ma-

B b 3

alio-